Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2327
Quelle:
Copyright:

Hora nouissima, tempora pessima sunt, uigilemus.
Ecce minaciter imminet arbiter ille supremus &c.

Juvat et hic specimen dare collationis inter editionem *suprac. Lubini* tanquam castigatiorem et nostrum *Codicem.* Lub. *pag. 1. quotque potestis.* Cod. *quique.* Versum, quem uterque legit:

Detur egentibus, alta parantibus ima parentur,

rhythmus legi exigit:

Detur egentibus, alta petentibus &c.

Lub. *Hinc chorus impius et neque sobrius.* Cod. *indeque sobrius.* Lub. p. 2. post: *præduce Christo* deest hic v.

Perdita crimine planget in ordine turba sinistro,

quem tamen *Flacius* habuit. Lub. *Hostis ab ensibus.* Cod. *ab ausibus.* Lub. *delubra castra.* Cod. *menia castra.* Lub. *aut furor aut lis.* Cod. *aut timor aut uis.* Lub. *aut tumor aut uis.* Cod. *aut furor aut lis.* Lub. p. 3. *singula flemus.* Cod. *gaudia flemus.* Lub. *huic manus altior.* Cod. *hinc manus altior.* Lub. p. 4. *Fortis habere.* Cod. *Fortis habebere.* Lub. *arte sequeris.* Cod. *arce.* Post v. *Et patris illius o sonus* &c. versus 20. in Cod. desunt. Lub. p. 5. *pax pia sanctis.* Cod. *pax rata.* Lub. *Et lue, luctibus.* Cod. *Vi, lue, luctibus.* Lub. *grataque punctio.* Cod. *non recreatio.* Atque pauca haec satis demonstrant, quae spes sit totius Opusculi e *Cod.* nostro perficiendi. *Liber* II. et III. incipit et finit, ut in Editis.

II. *fol.* 18. *Ad episcopum depositum.* Carmen constans 30. Versibus, quorum tamen unus excidit, eodem modo, ut praecedens, constructum. Quod, cum nullibi impressum legerim, hic adscribam:

Si tua regula non foret emula pontificatus,
Quis melioribus esset honoribus amplificatus!
Namque scientia pene per omnia dicta ualere
Esset amabilis, et satis utilis hec reticere.
Sed bona talia ceperat impia pestis adire,
Illa superbia que facit omnia uana perire.
Quid tibi profuit illa, uel obfuit, ipse probasti
Per mala singula siue pericula, que tolerasti.

Jam